


1738 2
M 3

DISSE^TAT^O HISTORICO-IVRIDICA
DE
CICERONE
IVRIS CIVILIS TESTE
AC INTERPRETE
SPECIATIM
DE
CICERONE ICTO
QVAM
PRAESIDE
HENRICO BROKES
IVRIVM DOCTORE
IN
ILLVSTRIS AD ALBIM ACADEMIAE
AUDITORIO IVRIDICO
D. I. SEPTEMBR. CLO IO CC XXXVIII.
PVBLICE VENTILANDAM
PROPONIT
IOHANNES GOTTL^{OB} RICHTERVS
FRIEDRICHSWALDENSI.

VITEMBERGAE
LITERIS EPHRAIM GOTTL^{OB} EICHSFELDII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI





PRAEFATIO.



Voties elegantissimum CICERO-
NIS opus euoluo; toties in sin-
gulis ipsius libris, quid? in sin-
gulis fere capitibus, ne dicam,
in singulis fere periodis luculen-
tissima iuris ciuilis uestigia non
sine maxima animi delectatione
animaduerto. Ad sunt antiqui-
tates, quae ad illustrandum ius
ciuale faciunt; allegantur leges Romanorum; expli-
cantur eadem; occurunt grauissima accusationis at-
que defensionis momenta. Omnia testantur, am-
plissimum CICERONIS opus testimonii Romani iu-
ris sat evidentibus abundare. Non errabo, si dicam,
CICERONEM iuris ciuilis suisse testem ac interpre-
tem. Animus est, idem illud, si DEVS uitam & uires
largiatur, uariis specimenibus Academicis comproba-
tum dare. Non nego, dari, praeter ius ciuale, in scri-
ptis CICERONIS sanctissima iuris Naturalis praece-
pta. Sed de his non agam, unice iis occupatus, quae

A 2

uel

uel ex iure ciuili sunt desumpta, uel ad illustrandum
ius ciuile faciunt. Hoc, quod cernis, specimen CI-
CERONEM ICTVM exhibebit. Faxit immorta-
le, cuius auspiciis uita mea regitur, NVMEN, ut
totum hoc, quod molior, opus ad exoptatum finem
perducere possim.

I.

Nomen CICERONIS annotatur.

Integrum CICERONIS nomen, Romanorum
more adhibitum, hoc positum legitur ordine: M.
TVLLIVS, M.F.M.N. COR. CICERO.

Prima littera denotatur MARCVS, quod no-
men CICERONIS praenomen fuit, a patre acce-
ptum.

Proprium CICERONIS pariter ac gentile ipsi-
us nomen fuit TVLLIVS, cum CICERO ex ant-
iquissima gente Tullia originem suam trahat. CIC.
Liber. 2. de LL. c. i. PLVTARCHVS scribit, genus
ipsius ad TVLLVM ATTIVM, celebrem Vol-
scorum Regem, a nonnullis referri. Inde EVSE-
BIVS *in suis Chronicis* memorat, patrem CICERO-
NIS ex regio Volscorum genere fuisse ortum.

Litteris M. F. indicantur uerba: MARCI *filius*.
Nam pater CICERONIS fuit M. TVLLIVS.
De hoc patre Q. CALENVS *in oratione sua apud*
DIONEM L. 46. refert, quod fullo fuerit, atque
operas suas in colendis vineis ac oliuetis locauerit. At
enim uero Q. CALENO parum, uel nihil confido,
propterea quod pleraque, in allegata oratione pro-
posita,

posita, ex infensissimo erga CICERONEM odio in huius contemnum atque perniciem sint efficta. Simili ratione genus uitae, a patre CICERONIS exercitum, non, nisi per contemnum, a CALENO refertur. CICERO potius *libr. 2. de LL. c. i.* narrat de patre suo, quod, cum infirma ualeitudine fuerit, in uilla fere aetatem egerit in litteris.

Litteris M. N. indigitantur uerba: MARCI *nepos*. Nam auus CICERONIS itidem M. TVL-LIVS audiebat, quo adhuc in uiuis existente, natus est noster CICERO. *Libr. 2. de LL. c. i.*

COR. idem est ac *Cornelia*, sc. tribu, cum Arpinates, quos inter CICERO numeratur, in tribum Corneliam relati fuerint. *LIV. l. 38. c. 36.*

Vltimo loco ponitur vox: CICERO. Hoc nomen originem suam trahere dicitur a cicere, quia, teste PLVTARCHO, idem propter figuram nasi, formam ciceris habentis, acceptum fertur.

II.

Tempus nativitatis memoratur.

Natus est CICERO *a. u. c. 647.* tertio die Calendarum Ianuarii, Q. SERVILIO CAEPIONE & C. ATILIO SERRANO Consulibus existentibus. GELL. *Noct. Att. l. 15. c. 28.* PLVTARCHVS diem nativitatis his indicat uerbis: τεχθίνας δὲ Κικέρωνα λέγοτιν ἡμέρα τρίτη τῶν νεῶν καλαιδῶν, ἐν ἣ τοῦ οἱ ἀρχοντες ἔυχονται, καὶ Θύσσων ὑπέξει τῷ ἥγεμόντος, i. e. natum Ciceronem ferunt tertio die Calendarum no-

A 3

nun-

nuncupant, atque sacrificia offerunt. Eundem exprimit diem CICERO *Libr. 7. ep. 5. & L. 13. ep. 42. ad Atticum.*

III.

CICERO in ipsa iuuentute studio iuris operam dedit.

A prima statim pueritia Cicero in arte philosophica optimis usus est doctoribus. ARCHIAS Poeta ipse a teneris annis ad suscipiendam & ad formandam rationem studiorum suorum princeps fuit. CIC. pro *Arct. Poez.* PHOEDRVS ipse, cum puer esset, valde, ut Philosophus, probatus fuit. *Libr. 13. ep. 1. ad Famil.* Audiuit PHILONEM Academicum; CIC. in *Bruto*, c. 89. *3^o de natur. Deor. libr. 1. c. 3.* PLVTARCHVS in *uit. Ciceronis* audiuit DIODOTVM Stoicum; CIC. *de natur. Deor. 1. c.* audiuit ANTIOCHVM, CIC. *de Natur. Deor. 1. c.* PLVTARCH. in *uit. Cicer.* audiuit Menippum, STRABO *libr. 14.* PLVTARCH. *1. c.* audiuit APOLLONIVM, PLVT. *1. c.* audiuit alios. Tot ac tantis viris attentas praebens aures, CICERO non potuit non sibi multum eruditioinis acquirere, ita, ut in arte Oratoria, poesi, aliisque disciplinarum generibus felici se se exercuerit successu. Quid? quod CICERO studio iuris operam dederit singularem. Fo sine CICERO ad Q. MUCIVM SCAEVALM est deductus, cui ipse in studio iuris adhaerebat. Fatetur hcc CICERO in *Bruto* c. 89. his uerbis: *ego autem iuris civilis studio multum operae dabam*

Q.

Q. SCAEVOLAE, P. F. qui, quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosi audiendi decebat. ATTICVS exculti iuris studii praebet testimonium, eo ipso, quo Libr. I. de L. c. 4. Tullium his uerbis affatur: *a primo tempore aetatis iuri te studere memini, cum ipse etiam ad SCAEVALAM ueniretare; neque unquam mibi uifus es ita te ad dicendum dedisse, ut ius ciuile contemneres.* Apparet, CICERONEM in prima iuuentute iurisprudentiam sibi reddidisse cognitam atque perspectam.

IV.

CICERO scripta Veterum ICTORUM legit.

Demonstrabo hoc, praeter alia, unico CICERO-NIS loco, qui libr. 7. ep. 22. ad famil. occurrit. Ibi CICERO haec ad TREBATIVM scribit: *illu-*
seras heri inter scybos, quod dixram, controuersiam esse,
possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti reste
agere. Itaque, et si domum bene potus, sero que redieram,
tamen id caput, ubi haec controuersia est, notaui, & descri-
ptum tibi misi: ut scires id, quod tu neminem sensisse dicebas,
 SEXT. AELIVM, M. MANILIVM, M.
 BRVTVM sensisse. Ego tamen SCAEVOLAE
 & TESTAE assentior. Apparet, CICERO-
 NEM TREBATIO ex scriptis Veterum ICTORUM
 demonstrasse, propositum iuris caput de actione, he-
 redi propter furtum competente, quod ipse pro in-
 dubitato habebat, re uera in dubium fuisse vocatum.
 Haec probant, CICERONEM in euoluendis Ve-
 terum ICTORUM uoluminibus fuisse occupatum.

V.

Scientiam iuris comprobant patrocinia a CICERONE gesta.

Aquisitam iuris scientiam exceptit applicatio iuris ad facta. CICERO in forum prorumpit ac patrocinium perentibus praestat. Singulae causae Tullianam iuris scientiam produnt. Publica adsunt testimonia, cum Orationes Ciceronis, quae in omnium manibus teruntur, praecepta iuris civilis continent. Ipsa rerum conditio solidam iuris cognitio nem postulat. Legitima defensio, uel accusatio, in foro instituenda, absque perfecta iuris scientia nullo modo fieri potest. Talis defensio, uel accusatio apud Romanos per solennem orationem habitam peragebatur. Inde Veteres oratori necessitatem iuris civilis addiscendi iniunxerunt. Audiamus M. FABIVM QVINCTILIANVM, qui *Libr. 12. Inſtit. Orator. c. 3.* idem illud praecepit his uerbis: *iuris quoque civilis necessaria buis uiro, Oratori sc. scientia est, & morum ac religionum eius reipublicae, quam capescet.* Num qualis esse suauor in consiliis publicis priuatissime poterit, tot rerum, quibus praecepsit ciuitas continetur, ignoramus? Quo autem modo patronum se causarum non falso dixerit, qui, quod est in causis potentissimum, sit ab altero petiturus? CRASSVS apud CICERONEM de *Oratore* libr. 1. c. 41. dicit, *ius, qui perfecti oratores esse uelint, iuris civilis cognitionem esse necessariam.* Turpe est, secundum Q. MV CII effatum, causas oranti, ius, in quo uerfatur, ignorare. *I. 2. §. 43. ff. de Orig. Iur.* Haec probe con-

considerans TULLIUS, nusquam, teste QVIN-
CTILIANO l. c. inter agendum scientia juris fuit
destitutus.

VI.

*Scientiam iuris comprobant res, a CICERONE
in officio gestae.*

Varia CICERO gessit officia, magistratus auctori-
tate insignia. Fuit quaestor, aedilis, praetor,
consul, proconsul. Officia ista potestatem iudicariam
involuerunt. Iam PLVTARCHVS scribit, quod
CICERO iudicia caste integreque exerceret. Idem
illud absque conformitate actuum cum lege, seu iu-
stitia fieri nequit. Iusticia in iudice solidam legum
cognitionem & prudentem illarum applicationem
supponit. Neutrum CICERONI defuit eo ipso,
quo caste integreque iudicia exercevit. In primis, ge-
sto quaesturae officio, subdit, PLVTARCHO te-
ste, diligentiam, iustitiam & comitatem CICERO-
NIS sunt experti. Gesto praeturae officio, CICE-
RO quaestioni de pecuniis repetundis praefuit. Fa-
tetur hoc ipse pro RABIRIO POSTVMO his
verbis: *accusavi de pecuniis repetundis, iudex sedi, praetor
quaesui, & pro CORNELIO ita: postulatur apud me
praetorem primum de pecuniis repetundis.* Singulare ex-
emplum est, quo C. LICINIVS MACER, de
pecuniis repetundis apud CICERONEM praero-
rem accusatus, inclusu spiritu poenam morte praecurrit. VALERI MAXIM, libr. 9, c. 12, §. 7. Gesto
B
con-

consulatus officio, CICERO non modo uarias orationes, praeceptis iuris ciuilis repletas, habuit, uerum etiam legem tulit de ambitu. CICERO in VATINIVM hac de re sic loquitur : *Arque illud etiam audire a te cupio, quare, cum ego legem de ambitu ex SCto tulerim, sine ui tulerim, saluis auspiciis tulerim, salua Lege Aelia & Fufia, tu eam esse legem non putas.* DIO refert, senatui, CICERONE referente, placuisse, ut poenae, in crimen ambitus constitutae, exilium decem annorum adderetur. Omnia testantur solidam legum cognitionem, qua CICERO neutiquam fuit destinatus. Addo, CICERONEM, gesto Consulatus officio tantam sibi nominis famam acquisiuisse, ut *patet patriae*, teste Appiano, fuerit salutatus. Hinc IVENALIS Satyr. 8. canit :

Roma parentem,
Roma patrem patriae CICERONEM libera
dixit.

Imo PLINIUS CICERONEM L.7. c.10. his alio loquitur uerbis : *Salve primus omnium patens patriae appellate.*

VII.

CICERONIS scripta ius Ciuale probant &
illustrant.

Supra dixi, in aureo CICERONIS opere multa deprehendi, quae uel ipsius iuris ciuilis sunt, uel ad ipsum illustrandum faciunt. Repeto hic eadem.
Non

Non opus est illius rei probatione. Ipsa res loquitur. Euoluas scripta CICERONIS, & in singulis fere paginis veritatem huius rei compertam habebis. Vnicus ipsius de LL. liber docet, TVLLIVM & iuris naturalis, & sacri, & publici, & priuati fuisse peritum.

VIII.

CICERO manum ad *systēma iuris ciuilis componendum admovit.*

Quod iam ante CICERONEM Q. MUCIVS SCAEVOLA, PVBLI filius, l.2. §.41. ff. de origin. iur. & SERVIVS SVLPICIVS, CIC. in Bruto c.41. tentarunt; idem illud CICERO, iuris ciuilis haud imperitus, voluit praestare. Ipse Libr. 1. de orat. c.42. cogitationes suas aperit, scribens: si aut mibi facere licuerit, quod iam diu cogito, aut aliis quispiam, aut, me impedito, occupari, aut, morivo, efficerit, ut prium omne ius ciuale in genera redigeret, quae per pauca sunt, deinde eorum generum quasi membra disperiat, tum propriam cuiusque vim definitione declareret, perfectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficultem & obscuram. Incepit opus, atque de iure ciuali in artem redigendo quaedam scripsit. Testis huius rei est QVINCTILIANVS, qui *Instit. Orat. libr. 12. c.3. M. TVLLIVS*, inquit, non modo inter agendum nusquam est desitutus scientia iuris, sed etiam componere aliqua de eo cooperat. GELLIVS libr. 1. c. 22. ad hunc CICERONIS librum prouocat, ita scribens:

bens: *M. autem CICERO in libro, qui inscriptus est de iure civili in artem redigendo, uerba haec posuit: nec uero scientia maioribus suis Q. AELIUS TVBERO defuit; doctrina etiam superfuit, in quo loco, superfuit, significare uidetur, supra fuit & persistit, superauitque maiores suos doctrina sua superfluenti, tum & nimis abundanti.* Doleo, hunc CICERONIS librum aetatem nostram haud tulisse, cum idem, si Tullianam iuris scientiam contempler, optima iuris civilis praecepta circa ullam dubitationem fuerit complexus.

IX.

Non minima fuit Tulliana iuris scientia.

Scientia, subiective considerata, in omnibus disciplinarum generibus suos admittit gradus, cum unus semper alterum uirtute antecellat. Quid de Tulliana iuris scientia iudicas? Evidem haec uidetur minima, si legeris uerba, quibus ipse BRVTVS in libro de claris Oratoribus C. 40. CICERONEM hoc allocuitur modo: *quia mihi & tu uideris tantum iuris civilis scire uoluissé, quantum satis esset Oratori.* Iam uero CICERO de Oratore Libr. I. c. 57. non semper exactam iuris civilis cognitionem in Oratore desiderat, ita scribens: *Licet igitur impune Oratori omnem banc partem iuris incontrouersi ignorare, quae pars sine dubio multo maxima est.* In eo autem iure, quod ambigitur inter peritos, non est difficile oratori, eius partis, quamcumque defendat, auctorem aliquem inuenire, a quo, cum amencatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis uiribusque tor-

torquebit. Taceo, haec ad imperfectum saltem oratorem pertinere, neutquam vero ad perfectum, teste CICER. de Orat. l. i. c. 41. & QVINCTILIANO l. 12. c. 3. qualis fuit noster CICERO; moneo saltem, BRVTI uerba extenuandae rei caula fuisse posita, ne CICERO, cum Auctor huius scripti sit, nimium sibi ipsi arrogasse videatur. Extenuatio sua ipsius laudis ex subsequenti responsione clarius patet, qua CICERO de sua ipsius persona haec profert: *de me dicere nihil est necesse.* Noli ergo iudicare, Tullianam iuris scientiam fuisse insimam, cum contrarium potius ex ipsius scriptis ac omnibus rebus, ab eodem gestis, appareat.

X.

Cicero fuit ICtus.

Exhibuit quondam Vir Summe Reuerendus, DN. IO. CASPARVS HAFERVNGIVS, S. S. Theologiae DoctoR ac Professor celeberrimus, peculiari scripto CICERONEM *Theologum*, ex naturae libro de DEO definiens. Egit ill. DN. IOANNES SAMVEL de BERGER, Potent. Magn. Brit. R E G. Consiliarius Aulicus & Archiater solide ac erudite uariis dissertationibus de CICERONE *Medico*, in quibus docetur, Ciceronem in arte salutari non fuisse hospitem. Addo, CICERONEM fuisse ICtum. ICtus est is, qui leges cognitas rite applicat. Fluit hoc astertum ex definitione iurisprudentiae, quae est habitus leges ad facta applicandi. Apparet, duo in omni ICto requiri, solidam scil. legum cognitionem

tionem & prudentem illarum applicationem. Vnum horum si deficiat, nomen ICti deficit, & loco illius uel nomen leguleii, uel rabulae substituitur. Applicatione uariis fit modis. Fit eadem respondendo de iure, postulando, iudicando, cautelas sugerendo. Inde non modo ICTus est, qui de iure respondebit, sed &, qui munus iudicis pariter ac aduocati rite gerit. Videtur mihi CICERO de oratore libr. i. c. 48. idem exprimere uoluisse, ita scribens: *Sin autem quereretur, quisnam iurisconsultus uere nominaretur; eum dicarem, qui legum & consuetudinis eius, qua priuati in ciuitate uentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus esset.* Velim, haec ad CICERONEM applicemus, & uidebimus, CICERONEM iure meritoque ICtis accenserit. Solida legum ciuilium cognitione CICERONI haud defuit, cum ipse in prima iuuentute studio iuris operam dederit, (th. 3.) scripta ueterum ICtorum legerit, (th. 4.) in suis scriptis passim monita iuris ciuilis immiscuerit, (th. 7.) ac librum de iure ciuili in ordinem redigendo compo-suerit. (th. 8.) Neque defuit Ciceroni applicatio. Postulauit, (th. 5.) munus iudicis gessit. (th. 6.) Vtroque casu CICERO prudentem legum applicationem instituit. Prudentem legum applicationem in postulando docent ipsius elegantissimae orationes; prudentem legum applicationem in iudicando probant res, a Cicerone in suo magistratus officio geltae. (th. 6.) Veniunt mihi denuo in mentem verba QVINTILIANI, quibus *Libr. 12. c. 3. Inst. Orat.* dicit, quod M. TVLLIUS inter agendum nusquam destitutus fuerit scientia iuris. Egit Cicero, & inter agendum iuris

juris peritus fuit. En utrumque, scientiam iuris & iuris applicationem. Colligo, Ciceronem re uera fuisse ICtum. Esto, Ciceronem de iure publice non respondisse. Non nocet. Sufficit, quod Cicero alia ratione, postulando scil. arque iudicando ius ad facta applicare studuerit, cum non modo ICtus sit, qui de iure responder, uerum etiam, qui iudicat & postulat. (h. th.)

XI.

Diuersa est BYNCKERSHOEKII atque SCHVLTINGII bac in re sententia.

Dantur, qui CICERONEM ICtis accensent, dantur etiam, qui eundem ex classe ICtorum eliminandum curant. Taceo ex illa parte GVILIELMVM BVDAEVM ad l. i. ff. de iust. & iur. REINERVM BACHOVIVM ad ANTON. FABRI error. pragmat. Dec. 94. err. 9. GVILIELMVM GROTIUM in libro de vit. ICtor. l. I. c. 9. CICERONEM catalogo ICtorum inferentes. Taceo ex altera parte ANTONIVM FABRVM in libro de error. pragmat. Dec. 94. error. 9. VBERTVM FOLIETAM in scripto de Philosophiae & iuris ciuilis inter se comparatione l. i. p. 16. IOANNEM SAMVELEM BRVNQVELLIVM, in sua Romani iuris historiâ C. 10. f. 24. Ciceronem ex ICtorum classe relegantes. Nomino saltem duos celeberrimos ICtos Batauos, sc. ANTONIVM SCHVLTINGIVM & CORNELIVM VAN BYNCKERSHOEK, quorum ille in peculiari oratione

ratione de iurisprudentia CICERONIS huic locum
inter ICtos tribuit; hic uero in suis Praetermissis ad l. 2.
§. 46. ff. de orig. iur. CICERONI locum inter ICtos
denegat. Si quid mihi cernere datum, iudico, item
potissimum uersari in termino ICti. Hunc Cl. SCHVL-
TINGVS in sensu lato accipit pro omni eo, qui le-
ges cognitas rite applicat; sed Cl. BYNCKERS-
HOEKIVS pro eo accipit, qui ius profitetur, atque sic pu-
blicum quoddam in arte iuridica munus gerit. Ta-
les erant ii, qui de iure potentibus respondebant, ali-
osque in iure instruebant. Inde Cl. BYNCKERS-
HOEKIVS non negat, CICERONEM habuisse
iuris scientiam, negat saltem, eundem fuisse ICtum.
Ex duplo isto conceptu, quo nomen ICti uel in sen-
su lato, uel in sensu stricto sumitur, non potest non
diuersa oriri sententia. Quaeritur saltem, quisnam
conceptus melior sit? Respondeo, illum esse praef-
erendum, qui cum usu loquendi conuenit. Iam uero
cum usu loquendi conuenit is conceptus, quo IC-
tus is dicitur, qui leges cognitas ad facta rite appli-
cat. (th. 10.) Eundem sensum TVLLIVS cum uoce
ICti combinare uidetur, si l. i. c. 49. de Orat. ICtum
eum nominet, qui legum & ad respondendum, & ad
agendum, & ad cauendum sit peritus. Retinebimus
ergo hunc conceptum, atque ex eo inferemus, CI-
CERONEM utique fuisse ICtum.

XII.

XII.

*Titulus ICti CICERONI infensus
uidetur.*

Vim CICERONI forsan infero, titulum ei attri-
buens, quem tamen ipse repudiat. Nota sunt
ipsius uestra, quae in orat. pro L. Murena c. 13. occur-
runt, atque sic fluunt: *itaque si mibi, homini uebementer
occupato, stomabum moueritis, triduo me Iurisconsultum
esse profiebor.* Minus recte GROTIUS de uit. ICt.
libr. I. c. 9. §. 14. haec uestra pro confirmingo ICti
nomine, CICERONI competente, allegat, cum ex
iisdem contrarium elucescat. Dicendum potius, CI-
CERONEM hic non loqui de ICto genuino, sed
de ICto, officii sui partes negligentia. Probabo. Sc.
olim notae erant legis actiones, seu certae formulae,
quibus inter se homines disceptabant. CIC. pro Rose.
c. 8. Hae cum litigantibus incognitae fuerint, daban-
tur ICti, qui consilia sua interponebant, donec CN.
FLAVIVS haec mysteria revelauerit. Idem illud
CICERO pro Murena c. u. confitetur his uestribus: *pos-
set agi lege, nec ne, pauci quondam sciebant: fastos enim uul-
go non habebant.* Erant in magna potentia, qui consule-
bantur: a quibus etiam dies, tanquam a Chaldeis, peteban-
tur. Inuentus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicium
oculos confixerit, & singulis diebus ediscendos fastos populo
proposuerit, & ab ipsis eantibus ICtis eorum sapientiam com-
pilarit. ICti, ueriti, ne iam sine ipsis lege ageretur,
nouas quasdam formulas composuerunt, quo ipsi de-
novo consulerentur. Addit CICERO l.c. sequentia:

C

Itaque

*Itaque irati illi, quod sunt ueriti, ne, dierum ratione per-
uulgata & cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quas-
dam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent.
Iam CICERO, qui iam alibi ICTum leguleium
quendam cautum, & acutum, praeconem actionum,
cantorem formularum, aucupem syllabarum nomina-
uit, in hac pro L. Murena oratione grauissime in
hanc iurisprudentiam formulariam inuehit, eamque
pro tenui scientia habet, imo ICTos damnat, quorum
ingeniis pleraque, in legibus praeclare constituta,
subtili ratione sunt corrupta ac deprauata, adeo, ut
pleraque, ab ipsis inuenta, sint fraudis atque stultitiae
plenissima. Talis ICTus, si modo talem aucupem
syllabarum ICTum nominare fas est, CICERO non,
nisi cum maxima indignatione, uult salutari. Appa-
ret, Ciceronem in supra allegato loco non in genere
de ICTis agere, sed de iis saltē, qui uerba captant,
atque genuinum legis sensum hoc uerborum aucu-
pio negligunt. Nec errabis, si dicas, Ciceronem lo-
qui de ICto in sensu speciali, seu tali, qui de iure pu-
blice responderet, cum Cicero maiorem in postulando
atque iudicando, quam in respondendo uoluptatem
quaesuerit, CIC. l. 1. de LL. c. 4. non de ICto, in sensu
generali, seu tali, qui leges cognitas ad facta rite
applicat. Facillimum quidem CICERONI, pro-
uti ipse eodem, quem citauit, loco fatetur, fuisse, u-
num alterumue addere, atque de iure respondere;
uoluit tamen ab hoc officio, forsan propter pessimum
illius abusum, ac inde subsecutum contemtum, libe-
re abstinere. Eo tamen ipso TVLLIUS titulo
ICTi*

I*Cti* non priuatur, cum & is sit *ICtus*, qui postulan-
do & iudicando leges ad facta rite applicat. (th. 10.)

XIII.

Orator potest esse ICtus.

Sit orator CICERO, imo sit oratorum princeps. De-
tur mihi hoc, ut dicam, Ciceronem quoque fuisse
ICtum. Vtrumque simul stare potest. Idque eo
magis, quo magis oratorum industria potissimum a-
pud Romanos in foro atque iudiciis uerfabatur. (th. 5.)
Inde QVINCTILIANVS, CICERO, aliquie iu-
ris Civilis cognitionem perfecto oratori praescripe-
runt. (th. 5.) Non desunt exempla eorum, qui Ora-
tores pariter ac *ICti* fuerunt. Huc refert QVIN-
CTILIANVS libr. 12. c. 3. MARCVM CATONEM,
SCAEVOLAM, SERVIVMque SVLPITIVM.
Quid? quod idem ille QVINCTILIANVS his
uiris CICERONEM, ceu Oratorem & *ICtum*, eo-
dem loco adiungat. Dices, TULLIVM iuris Ciui-
lis notitiam sibi acquisiuisse, non ut *ICtum*, sed, ut fu-
turum Oratorem. Non quaero, quo fine Cicero ius
Ciuale didicerit, sed quaero, an Cicero iuris Civilis
notitiam habuerit, cognitumque ius ciuale ad casus
obuenientes applicuerit. Hoc ex supra notatis affir-
mo. Ulterius progrederior, atque dico, Oratorem eo
ipso, quo argumenta iuridica proponit, atque suam
causam ex iure deducit, agere ut *ICtum*, cum ius ad
facta applicare studeat. Scio quidem, utriusque ar-
tis & iurisprudentiae & eloquentiae diuersam esse na-
turam

turam ac indolem; scio tamen & hoc, utramque artem felici combinari posse successu.

XIV.

Omissa in scriptis veterum ICti mentio CICERONI hunc titulum non reddit dubium.

Constat, POMPONIVM in l. 2. ff. de Orig. iur. catalogum veterum ICTorum dedisse, atque in horum numerum Ciceronem haud retulisse. Q. FVSIVS CALENVS in Oratione contra CICERO-NEM, quae apud DIONEM CASSIVM libr. 46. exstat, studia Ciceronis exprimit, nullam uero iuris-prudentiae mentionem facit. Haec solent allegari, quo proberetur, TVLLIVM non fuisse ICtum. At enim uero a silentio ad negationem haud licet concludere. POMPONIVS in citata lege uidetur eos faltem ICtos nominasse, qui de iure responderunt, scriptis iuridicis inclaruerunt, atque studiosae iuuentuti praecepta iuris civilis dederunt, non uero eos ICtos adduxisse uiderur, qui postulando atque iudicando ius ad facta applicare studuerunt. Et quid? POMPONIVS multos alios maximae auctoritatis ICtos omisit, atque memorias veterum ICTorum non adeo accurate delineauit. Conf. diff. meam de *Pomponio bisforiae litterariae ignaro*. CALENO apud CAS-SIVM nullam fidem habeo, cum ex infenso erga CICERONEM odio uera in eadem oratione magis supprimantur, quam narrentur. Sufficit, quod pl̄a res loquatur, aliique probatae fidei scriptores, si non

non expresse, attamen tacite, Ciceroni titulum Icti
praebeant.

XV.

Violenta mors CICERONI obtigit.

Vatinianum inter CICERONEM & ANTONIUM intercesserat odium. Hic CICERONEM pro reo caedis, in IVLIVM CAESAREM commissae, habebat. Vtque in alterum grauissimas orationes dicebat: ANTONIO a Republica absente, CICERO magis ANTONIO feso opposuit, cum id egerit, ut ANTONIVS pro hoste declaretur. Arma sumebantur contra ANTONIVM. Pace tandem cum CAESARE, ANTONIO atque LEPIDO facta, inter ANTONIVM atque LEPIDVM conuenit, ut suos quisque inimicos proscriberet. Inprimis ANTONIVS, interfictionem CICERONIS intendens, LEPIDVM facile, CAESAREM uero, non, nisi aegre, in suas partes uocabat. CICERO fuga salutem petens, in fundum Tusculanum se contulit, atque hinc in terras exteras proficiens, tandem se in villam Caietanam recepit. Serui, insidias uitiae, domino struetas, experti, CICERONEM lecticae impositum ad mare detulerunt. Dum haec geruntur, aduolant cum ministris suis interfectores CICERONIS, HERENNIVS, centurio, & POPILIVS, tribunus militum. Hic est ille POPILIVS, quem, parricidii accusatum, CICERO olim defenderat. Inde hic POPILIUS

C 3


VS


VS a VALERIO MAXIMO l.5. c.3. §.4. inter exempla ingratorum animorum his refertur uestibis:
 M. CICERO C. POPILIVM LAENA-
 TEM, Picenae regionis, rogatu M. COELII, non mi-
 nore cura, quam eloquentia defendit; eumque cau/a admo-
 dum dubia fluctuantem, saluum ad penates suos remisit. Hic
 POPILIVS postea nec re, nec uerbo a CICERO-
 NE laesus, ultro M. ANTONIVM rogauit, ut ad
 illum proscriptum persequendum & iugulandum mitteretur:
 impetratisque detestabilis ministerii paribus, gaudio exul-
 tans Caietam cucurrit, & uirum, omitti, quod amplissi-
 mae dignitatis, certe salutis eius auctorem, studio etiam praef-
 stantis offici priuatim sibi uenerandum, iugulum praebere
 iussit: ac protinus caput Romanae eloquentiae & pacis
 clarissimam dexteram per summum & securum otium am-
 putauit. Eaque sarcina, tanquam optimis spoliis, alacer in
 urbem reuersus est. Neque ei scelestum portanti onus suc-
 currit, illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam
 perorauerat. Interfectoris approquinquantibus, ca-
 put CICERONI, ceruicem extra lecticam praeben-
 tis, praeciditur, manusque dextra, qua Philippi-
 cas scripsit, amputatur. Hac violenta ratione CI-
 CERO uitam amisit, cum sexagesimum quartum
 aetatis suae annum ageret. Occiso TULLIO,
 peracta caedes nunciatur ANTONIO. Ipse PO-
 PILIVS accelerans caput atque manum CICE-
 RONIS ANTONIO, in foro sedenti, eminus
 ostendit, qui, hac caede sui inimici ualde laetus, ca-
 put atque manum in rostris poni iussit, ubi ille Con-
 ful, ubi eo ipso anno aduersus Antonium maxima
 elo-

eloquentiae ui auditus erat. Horrendum Romanis spectaculum, qui iudicabant, se non Ciceronis faciem, sed imaginem animi Antonii aspicere. Conf. PLVTARCVM, LIVIVM, APPIANVM, DIONEM, aliosque, violentum CICERONIS interitum prolixo narrantes. Alius non extat Cicerro, inquit VALERIVS MAXIMVS *l. c.* qui talem CICERONIS easum satis digne deplorare possit. CORNELIVS SEVERVS mortem CICERONIS luget nitidis uersibus, in quibus legi merentur sequentes:

Abstulit una dies aeuī decus, istaque luctu
Conticuit Latiae tristis facundia linguae,
Vnica sollicitis quondam turela salusque,
Egregium semper patriae caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque togaeque,
Publica uox saeuis aeternum obmuriuit armis.
Informes uultus, sparsamque cruento nefando
Caniciem, sacrasque manus, operumque ministras
Tantorum, pedibus ciuis proiecta superbis
Proculauit ouans, nec lubrica fata, Deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius aeuo.

Imo uero Antonius hoc nunquam luet, cum tanti
nominis uirum interficiendum curauerit, qui non
modo Orator fuit, uerum etiam
Iureconsultus.





Wittenberg, Diss. 1738



	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8
B.I.G.	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	Black

Farbkarte #13

1738 L
M 3

HISTORICO-IVRIDICA
 DE
ERONE
 VILIS TESTE
 TERPRETE
 PECIATIM
 DE
ONE ICTO
 QVAM
 AES IDE
CO BROKES
 VM DOCTORE
 IN
 ALBIM ACADEMIAE
ORIO IVRIDICO
 MBR. c/o Is cc XXXVIII.
 CE VENTILANDAM
 PROPOSIT
OTTLOB RICHTERVS
 DRICHSWALDENSI.

TEMBERGAE
 M GOTTL G EICHSFELDII
 MIAE TYPOGRAPHI.